S. D. Equidem nihil cupiebam magis quam te inuisere: verum
hoc maturato opus fuit, ut ad diem hic essem, ne preuaricarer insti-
tutum fratrum Canonicorum et Legem adeo qua sanctum est, ne
vigesimum ultra diem absim a Gymnasio: non est igitur cur
mihi succenseas: aut obijcias musas, et cenas Philosophas, ac preterea
alias voluptates longe honestissimas: sat scio beatum esse te: atque his
bonis Vrsinum multis etiam parasangis superare. Porro de amicis
quod scribis et sodalitate Collimitiana quibus egeremur carere, eandem
tu mihi illorum memoria in literis tuis cicatricem refricas:
Cotidie vero cum alios, tum Collimitium et Abhauser sollicite
cogito: atque ubi sint gentium, ut valeant: quo denique quisque subito
metu consternatus profugerit auide expecto audire. Nuper Guil-
helmus Cracouia scripsit quem ego illuc misi veluti umbram: ut
eius verbis utar: a Iodoco Decio sero nimis magnis etiam pollici-
tationibus euocatus. utrique vero te per literas salutare iussit. Lucas
francofordia Vuittembergam rediit: scripsit mihi esse proxima Vienna
ad dies singulos interire homines plus minus centum. De Epigram-
mate Greco velim consyderes melius, ipsum ni fallor Geometras traducit
illius a me barbare redditi obliuiscor. Grecum nondum inspexi. utcunque
tibi mos geretur. et meis qualecunque adijciam tuas et Collimitij
laudes complexurum. Publicaturus in alio habeo omne genus poema-
tum meorum. Epithalamia, Panegiricos, Epicedia, Paeanas. Genethli-
aca, Epistolas, Elegias, Epigrammata. et e grecis latina facta
Proinde rogo si quid apud te est reliquum meorum carminum
ad me postliminij iure reuerti sinas: nihil ad hunc modum
dilapsa sunt, et pleraque interiere. habes tum exploratum quod
indiligens horum fuerim obseruator. Dedi hoc negotij Grebellio
adulescenti moribus ingenio egregio atque in meos mire officioso
qui de alijs quoque que scribere supersedeo tecum communicabit
Sororem tuam honestiss: feminam et quantum ex literis indole
coniectare licet, adulescentem suauem et ignoti nominis salutem
dicas: Tu Vale et ne pigriteris rescribere
E Basilea Cal: Octob: Anno etc XXI.

Vr. C. Velius

Clariſsimo et Eximio Dn̄o
Joachimo Vadiano · Doctori
Medico Philoſopho et Poetæ
Laureato etc. amico honorando